



ULB Halle 3
005 090 849


OP B 200, Kapsel (23)



L. D. B. V.

EXERCITATIONEM MATHEMATICAM

De

PROPORTIONE

In illustri ad Albim Academia,

placido Eruditorum examini

submittant

PRÆSES

M. JOHANNES BAPTISTA

RÖSCHELIUS,

Sempronio - Hungarus,

&

RESPONDENS

GEORGIUS CARPONAIDES,

Illaviâ - Hungarus,

In Auditorio Minori d. V. Aprilis.

c l o l o c L X X I X.

Horis Antemeridianis.



WITTEBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



2. D. V. N.

EXERCITATIONEM MATHEMATICAM

DE

PROPORTIONE

In illius ad Albinum A. cad. s. m. d.

per Johannem Baptistam

Wittenbergae

1711

M. JOHANNES BAPTISTA

WITTENBERGAE

1711

GEORGII GILII

WITTENBERGAE

In Aedibus Typographicis

WITTENBERGAE

WITTENBERGAE

Typo MATTHEI HENCKELII, Aed. Typog.



08 B 200, Kapsel (23)



THESIS. I.

Nter tanta, tamq; immensa bona, quibus procreator Mundi Deus, hominem perclementer instruxit, primum sibi meritò vendicat locum motus ille cogitationum, lux lumenqve Vitæ, quò is à cæteris discernitur animantibus: cujus admirandas Vires ut nemo unquam plenè & perfectè conseqvi potuit, ita magna semper clarissimorum Philosophorum, quid, aut ubi, aut unde sit, fuit dissensio. Aliis ipsum cor, nonnullis cerebrum videbatur. Zeno stoicus ignem esse asserbat. Aristoxenus Musicus idem atqve Philosophus intentionem ipsius corporis, suavemqve quandam harmoniam dicebat; Xenocrates numerum. Hic si non tam numerum, quàm id quod numerat dixisset, fortè omnium rectissimè vim illius expressisset. Neqve hoc cuiquam mirum videbitur, qui veterem Pythagoræorum philosophandi consuetudinem institutumqve perspectum habuerit, à quo & nomen rationis animo nostro hæsisse, nullum est dubium, quandoquidem omnis ejus inquisitio in comparatione versatur & Proportione. Neqve enim vel divinius quid, vel pulchrius in natura observatur, quàm ratio rerum omnium, ac Proportio. Quippe quæ & ad cælestia pulcherrimis conjuncta, connexaqve rationibus se extendit, & terrestrium Varietatem certis comprehensam legibus cognitioni nostræ subjicit, aded ut hujus consideratione nec sublimius quid ab humana mente suscipi possit, nec utilius ad Vitæ munia rectè obeunda. Quod nec Deo, qui in Universa natura

*Cic. Quest.
Tusc. L. I.*



tura se expresit quicquam magis esse queat gratum, quam si in ipsa consideretur, nec mortalibus ulla res majorem conferre possit felicitatem, quam si seipsum, id est, tam animi, quam corporis vires mensurent, & relationem sui cum ad coelestia, tum ad terrena scrutentur. Cujus rei contemplatio hominem reddit sapientem, plena vero cognitio Deo immortali similem.

II. Neque vero solis Mathematicis hanc Proportionum considerationem relictam esse, censendum est. Ut enim primi naturam illius in numeris & lineis simplicissimo investigarent modo, in quo & Pythagoræ Divinum emicuit ingenium, & Eudoxi ab antiquitate laudata est solertia, imò quotquot unquam floruerunt Pythagorici commendatissimum sibi habuerunt: non tamen his includenda ea est cancellis, sed ut usus ejus per Universam Philosophiam multò maximus est, ita omnes quoque veræ sapientiæ sectatores ad se allicit. Ecquid enim mirum si nemo nisi hōc Duce prævio satis Naturam intelligere queat, quando Deus omnia in mensura, numero & pondere disposuit: quod terminis artis dixeris, eum omnia condidisse Geometricè, Arithmeticè & Staticè. Nam Deus non initio modo suis omnia terminis ac figuris circumscripsit; sed & ut ipse Virtutis augmentum æquè, ac defectum ignorat, in summa bonorum omnium æqualitate immutabilis, ita æquali motu cuncta impellit & conservat. Id quod præter sexcenta alia vel ex humano deprehendere est corpore. Sive enim stamus, sive sedemus, aut surgimus, hoc quicquid est, totum à Geometricis angulis ac figuris, earumque commoda est proportione. Quæ quàm concinnè de tota Natura pronuntientur, nemo nisi qui cognita proportionum elementa habuerit, judicare potest.

III. Nihil nunc dicam quid ea in lectione Veterum valeat, & quantum ad illos feliciter intelligendos conferat. Cujusmodi est, quod Aristoteles de utraque Justitia differit, quò ipsò quantopere studium excellentissimorum Actorum excitaverit, neminem certè latere potest, qui vel à limine sacra Themidos salutaverit. Idem quoque luculentissimè è diversis Platonis locis

locis & cum primis è libris de Republica & Epinomide demon-
stravit Theo Smyrnæus, quæ nullò modò perviã reddi, vel agno-
sci, nisi his præsiidiis & sublevamine possunt. Quod pluribus
persequitur Fabius. Quando Plato, inquit, *cùm in aliis*
quibusdam, tum præcipuè in Timæo ne intelligi
quidem, nisi ab iis, qui hanc quoque partem
disciplinæ diligenter perceperint, potest.

Inst. O. L. I.
C. XVI.

IV. Ut autem plerasque ingenuas artes & mentis nostræ
ornamenta Græcis acceptas ferimus, ita non minus hæc de
Proportionè doctrina illis ipsis sua debet incunabula. Dicta
iisdem *Ἀναλογία*, quasi *ἀνά λόγον τὸν αὐτὸν*, ut videre licet a-
pud Platonem in Phædone, cum Quantitas una ad alteram, se-
cundùm eandem rationem fuerit, secunda ad tertiam, tertia ad
quartam, & sic deinceps, quousque Analogia excreverit. Hanc
Latii sermonis Princeps Cicero, primus Proportionem reddi-
dit, quod ipse de se testatur, dum disertè dicit: *Ἀναλογία*
latinè [audendum enim est quoniam hæc pri-
mùm a nobis novantur] Comparatio Propor-
tione dici potest. Simul & comparat eam nodo seu vin-

In Cap. XII.
ad Rom.

de Univers.

culo, eò quòd ex se & iis quæ adstringit unum quasi faciat.
Quando enim inquit, *trium vel numerorum,*
vel figurarum, vel quorumcunque generum
contingit, ut quod medium sit, uti primum
proportione, ita id postremo comparetur, vicis-
simque ut extremum cum medio, sic medium
cum primo conferatur; id quod medium est,

A 3

tum

tum primum sit, tum postremum; postrema
vero, & prima media fiunt: Ita necessitas co-
git, ut eadem sint ea, quæ dejecta fuerunt.
Eadem autem cum facta sint, efficitur ut omnia
sint unum.

L. II. Noct. Att. c. 25. V. Aliena autem ab hoc instituto est acceptio Propor-
tionis Grammatica, quæ juxta A. Gellium, similis est similium
declinatio. Ut & illa Logicorum, Analoga in scholis suis exi-
gua cum accuratione medio loco habentium inter Univoca &
æquivoca. Neque Erasmus nobis satisfacit Analogiam obser-
vans appellari, congruentiam rei ad aliquid rela-

In Cap. XII. ad Rom. te, velut cum dicimus, cicada magnas habet
alas proportionem corporis. Et justo latius extendunt

I. Quest. XII.
Art. IV.

nomen, qui pro qualibet habitudine rerum aliarum, quæ com-
parationem, vel similitudinem inter se habent, accipiunt, quo
in sensu occurrit apud Thomam. Cum Analogia primò ac pro-
priè non nisi in Quantitatibus inveniatur, & e rationum rela-
tione ipsa nova resultet relatio. Ut ne illi quidem omnem re-
prehensionis notam effugiant, quotquot remotò omni delectu,
& discrimine non Arithmeticam modò, sed & Harmonicam
Medietates, æquè ac Geometricam, Proportionis nomine ex-
hibent: Siquidem ea tantum quæ Geometrica dicitur, propriè
& accuratè loquendo Proportio sit. Qua in causa tota vene-
randa nobis suffragatur antiquitas. Elegans est locus, quem ha-

Introd. in A-
rithm. Nico.
Geras L. I.
p. 141. & 147.

bet Jamblichus. Presumenda, inquit, est hæc opinio,
quòd Veteres proportionem propriè vocarint
Geometricam, communius autem reliquas.
Omnes in genere medietates. Rursum: Secun-

da

da verò Medietas, quæ est Geometrica, solum vocatur Proportio, quia quantitates similes æqualem continent rationem, & eadem distant ratione. Accedat Boëtius cujus verba sunt:

Sola vel maximè Proportionalitas appellari potest Geometrica. Reliquas medietates dicamus licebit. L. II. Arith.
c. XXXIII.

Αναλογία & μέσότης

ἴσα five Medietatem, inter alios egregiè docet Theo Smyrnanus. Cùm in omni quidem Proportione occurrat medietas, nequaquam verò in omni medietate Proportio. Ut rectum propriumque Medietatis nomen sit; quòd manentibus extremitatibus, interposita tertiâ quantitate, nullo negotio invicem permutari queant, & nunc Arithmeticam, nunc Geometricam, nunc Harmonicam constituere medietatem possimus: Ita ut cùm Arithmeticam ponimus differentiarum tantùm respectus idem, æqvabilitasque servetur; cùm Geometricam, æqualis rationum attendatur junctura. Sin denique Harmonicam fieri velimus, eadem terminorum sit; quæ differentiarum ratio. Quod exemplo declarare opportunum erit. Sint itaque pares positæ quædam extremitates v. g. 10. & 40. Inter has si interponamus 25. Arithmeticam prodire medietatem palam est. Nam primi ad secundum, & secundi ad tertium una eademque est differentia, nempe 15. quò mediò sublatò, & in locum ejus 20 constitutò, Geometricam oriri nemo est qui non videat. Quæ enim habitudo est 10. ad 20, eadem utique est & 20 ad 40. Hoc denique communi termino permutato cum 16, emergit Harmonica. Sed de his in quo conveniant, vel disconveniant infra dicendi locus erit. c. XXXII.

VI. Idem autem quod Græcis Αναλογία, Latinis Proportio dicitur; aliis etiam Rationum Ratio appellari solet, nonnullis Proportionalitas. Hæc enim à plerisque promiscuè accipi-

γ. Eccles.
def. 7.

cipiuntur. Si tamen exquisitè loqui velimus, Proportio à Proportionalitate differt, tanquam relatio à qualitate illa, quæ relationem Proportionis in quantitatibus concomitatur. Unde Proportionales quantitates appellantur, quæ similes vel eandem rationem, id est, proportionem habent.

VII. Cæterùm quòd solam illam verè ac propriè proportionem esse dixi, quam Geometricam vocant, ex eo quidem à Geometria illi cessisse nomen, nequaquam tamen in hac Scientia pertractandam esse consequitur. Nisi alteram illam, & sic dictam proportionem arithmetica, ac solam quidem, doctrinæ numerorum mancipare velimus: quod ne illi quidem admitterint, quibus familiare est, in Arithmeticis utriusque naturam exponere. Proportio ad eam puræ Matheseos partem spectat, quæ universalis dicta est, eò quod communes Quantitatum affectiones tradit, quarum numero Proportionem contineri nemo inficiabitur. Si quidem ea non abstractis tantùm, numeris & magnitudinibus; sed & concretis convenit Quantitatibus, uti sunt tempora, soni, voces, loci, motus, potentiæ, quæ analogiam inter se habere possunt, si eorum consideretur habitudo secundum Quantitatem. Ecquid enim obstat, quò minus sic cum cum siccò, liquida cum liquidis, colorem cum colore, tactum cum tactu, lucem cum luce eodem jure conferamus, quo conferimus longitudinem cum longitudine, superficiem cum superficiè, corpus cum corpore, & quæ alia, quorum idem Quantitatis genus est, certamque habent rationem inter se, cum illa æquè atque hæc sint Magnitudines licet κατὰ δύναμιν? Quò facit illud Poëtæ incerti, sed minimè inelegantis.

Namque nec errantes undis labentibus a-
mnes

Nec mersi putei, latices aut fonte perenni

Manan-

*Manantes, par pondus habent, nec denique
vina,*

*Quæ campi aut colles nuperve aut ante tu-
lerunt.*

*Quod Tibi Mechanica promptum est depren-
dere Musa.*

Quæ vel una ratio sufficeret, si nullæ aliæ essent in promptu, ad ostendendam necessitatem disciplinæ prædictæ, quam Protomathesin appellavit Orontius Finæus, jamq; suo ævo observavit Eutocius Ascalonita, & pluribus persequitur Adrianus Romanus.

IIX. Sed missis iis, quibus in rem introducendi eramus, nunc quid Proportio sit, operæ pretium est, accuratè cognoscere. Consultis igitur omnium entium ordinibus, ex illo genere esse Proportionem facillè quidem deprehendimus, quorum unumquodque quicquid est, ad aliud est. Quemadmodum enim quantitates ipsæ, ita etiam rationes earundem inter se conferuntur, collatæq; proportionem efficiunt, cujus proinde totum esse, necesse est, esse ad aliud. Ubi res ipsa postulat, ut quid Ratio sit, explicemus. Est verò Ratio, quæ Græcis λόγος dicitur, duarum Quantitatum ejusdem generis, quarum alterutra in se multiplicata, alteram superare possit, mutua quædam secundum quantitatem habitudo veluti cum 2 ad 3 refertur, vel 4 ad 8 &c. Quorum quidem terminorum unus Antecedens, alter Consequens nominatur. Sed qui in eo conveniunt, quòd ambo sint Quantitates, & eæ quidem ejusdem generis; cum quòd, non nisi linea cum linea, superficies cum superficie, quibus communis est magnitudo, mina item cum talento, quæis commune genus est gravitas &c. comparisonem rationis sustineant; tùm quia, quæ diversi sunt generis, quomodo inter se comparata sint, scire minimè datur. Nam ut se cubitus habeat ad cotylam, vel pes ad choen-

B

cem,

cem, cognoscere non possumus. Neque tamen identitas generis sufficit, sed & ambas finitas esse quantitates supponitur, quæ in comparationem veniunt. Quia finita una, quantacunque sit, multiplicata in se, ne quidem æquare, ac multò minus superare alteram, infinitamque potest. Denique observandum est, hanc terminorum comparationem tantum fieri secundum Quantitatem. Aliàs quippe & pater ad filium habet relationem, & amicus ad amicum, & dextrum ad sinistram, inter quæ tamen quatenus talia sunt, ratio nulla exercetur.

IX. Porro termini uniuscujusque rationis inter se vel æquales, vel inæquales sunt: indeque ipsa Ratio alia Æqualitatis, alia Inæqualitatis statuitur. Ac Ratio quidem æqualitatis suapte natura indivisa est, eò quòd nec rei, nec nominis in illa detur varietas. Secus verò se res habet cum ratione inæqualitatis. Hæc quippe ut ingentem varietatem admittit, & cum hac excessum vel defectum, aut majus minusve dicit; ita eandem diversa sequitur partium constitutio, distinctaque denominatio. Quò fit, ut Ratio primùm alia sit inæqualitatis majoris, quando major v. gr. 6 ad 3, minorem; alia minoris, quando minor ad majorem v. gr. 3 ad 9 refertur. Utraque pro diverso mensurandi modo, quatenus una quantitas aliam continet, vel aliquoties exactè, vel semel, aut aliquoties cum una, duabusve, vel pluribus particulis, in quinque rursus dispescitur differentias, quas alii species rationum, quidam partes sive membra, nonnulli *μέσσεις* sive respectus speciales vocant: hoc tamen discriminis observari cupientes, ut priores sive Inæqualitatis Majoris *πρόλογοι*, quasi præcedentes rationes; reliquæ Inæqualitatis minoris *ὑπόλογοι* sive subsequentes nominentur.

X. Quare æquum hic fuerit, ut *πρόλογος*, tanquam naturâ & dignitate præcipuos, primùm videamus. Sunt autem ii vel simplices, ut Multiplex, superparticularis & superpartiens, vel Compositi, ut Multiplex superparticularis, & Multiplex superpartiens, *Ratio Multiplex*, inter species prima eademque per-

perfectissima, est habitudo Quantitatis majoris
ad minorem, quando major minorem ali-
quoties exactè continet, bis, ter, quater, &
sic porrò in infinitum. Unde Ratio dupla ut 8 ad 4,
seu tripla ut 9 ad 3, seu quadrupla ut 16 ad 4. Super-
particularis est, quando major minorem
semel duntaxat continet, & insuper unam
ejus partem aliquotam, dimidiam, terti-
am, quartam, & sic porrò in infinitum.
Unde Ratio sesquialtera, sesquitercia, sesquiquarta &c. v. gr.
3 ad 2, s. 4 ad 3, s. 5 ad 4. Superpartiens est,
quando major minorem semel continet, &
præterea aliquot ejus partes aliquotas, quæ
simul sumptæ non efficiunt unam aliquotam:
Atque hæc pro diversitate particularum abundantium alia
superpartiens duas tertias v. gr. 5 ad 3, quintas ut 7 ad 5
&c. alia tres quartas, quintas, septimas &c. est. Multi-
plex superparticularis est, quando major
minorem aliquoties continet, & præterea
unam ejus partem aliquotam bis, ter, quater,
&c. in infinitum cum parte minoris dimidia,
tertia, quarta &c. Unde Ratio dupla sesquialtera,
quomodo se habet 5 ad 2, dupla sesquitercia uti 7 ad 3 &c.

B. 2. in Pos.



Postremò *Multiplex superpartiens est, quando Major minorem continet aliquoties, nec non aliquot partes ejus aliquotas, non efficientes unam aliquotam, bis, ter, quater, &c. cum duabus tertiis, quintis &c.* Unde Ratio dupla, tripla, quadrupla superbipartiens tertias, quintas. Qvalis est inter 8 & 3 &c.

XI. Ex quibus nullò negotiò & reliqvas quinque species, contrariò modò affectas, licet cognoscere, quæ ita sigillatim his quinque Inæqualitatis Majoris speciebus opponuntur ut iisdem nuncupentur nominibus, solâ præpositione SUB differentibus, quæ argumento esse possit, correlative sese habere ad illas, à quibus non tam terminis ipsis, quàm diversa eorum collatione distingvuntur. Quare supervacuum esset plura de his scribere.

XII Ad eam potius confero, quæ instituto propius serviunt. Proportionem in relatione rationum consistere dixi, & quid ratio sit, prout usus postulare visus est, explicavi perspicuè. Nunc cum rationes aggregari possint, ut nulla proportio sit, observari præcipuè meretur, Proportionem non quarumlibet duarum, pluriumve Rationum esse conjunctionem, sive comparisonem, verùm illarum demum, quæ quantitatibus in uno rationum genere, ordine progredientibus constant, aut in quibus æqua semper custoditur habitudo, cujusmodi esse censentur, quæ ejusdem sunt denominationis, sive illa dupla, sive sesquialtera, aut quævis alia fuerit. Aristoteles æqualitatem, Proclus identitatem, Euclides similitudinem appellat. Similes autem dicuntur, vel eandem habere rationem quantitates, cum prima secundæ, & tertia quartæ æquè multiplex est, vel eadem pars, vel eadem partes, aut certè cum prima secundam, & tertia quartam

tam æqualiter continet, eandemq; insuper illius partem, vel easdem partes. Neque enim hic sufficit ambas esse e. gr. superbipartientes, aut supertripartientes. Cum horum terminorum, 7-5-3 ambæ rationes superbipartientes, nec tamen æquales, aut ejusdem denominationis sint, quod 7 ad 5 est superbipartiens quintas, 5 verò ad 3 superbipartiens tertias. Sed exigitur insuper, utrasque superbipartientes esse aut tertias, aut quintas. Tum enim æquales denominatores unam rationem alteri arguunt æqualem. Rationes verò æquales, similes etiam, atque eadem sunt specie. Patet autem facilè, quæ hæcenus dixi, de quantitibus accipi oportere commensurabilibus, quarum rationes reperiri in numeris possunt, ac istis definiri. Reliquæ in eadem ratione sunt, cum primæ & tertiæ æquè multiplicia, à secundæ & quartæ æquè multiplicibus, qualiscunqve sit hæc multiplicatio, utrumque ab utroque, vel unà deficiunt, vel unà æqualia sunt, vel unà excedunt, si ea sumantur, quæ inter se respondent, per def. 6. V. Eucl.

XIII. Quo fundamento posito, hæc sua sponte emergit Proportionis Definitio, quòd sit *rationum Similitudo*. Quam sciolis possum ostendere ad omnem subtilitatem esse perfectam: utut Euclides, definitionis Auctor, & cum ipso Philosophi, qui nomen tueri malunt, quàm præter meritum eo superbire, non curent ineptias, in quibus consensescere videmus absurda quædam ingenia.

XIV. Definitionem Proportionis Divisio excipit, quâ in *Continuam & Discontinuam* communiter recteque dispescitur. Nam quod Jamblichus paulò alias hic inquit rationes, concedens in Discontinua dari quidem *proportionatum, non autem proportionem,*

B 3

ut

ut quæ propriè in illis ordinetur *Quantita-*
tibus, quæ terminum habeant communem,
id iustò mihi videtur subtilius, cum ἀνάλογον esse nequeat,
cui ἀναλογία non subsit.

XV. Igitur quoties unus idemque terminus ita inter
duos alios est interjectus, ut bis in comparationem veniens,
diverso respectu ad unum consequens sive comes, ad alte-
rum verò Dux, sive antecedens sit, Proportio erit continua.
Tunc enim rationes cohærent, quando medius est terminus
communis, eandem ad utramque extremitatem habens ra-
tionem, e. gr. inter 24. 12. 6. Paucioribus constare nulla
potest proportio: sed tamen continua quoque plures non
aspernatur terminos, cum nihil prohibeat, eam quatuor aut
quinque, vel pluribus contineri, modò unusquisque inter-
medius bis sumatur. Sin nullus terminus bis comparetur,
sed quilibet vel antecedens tantum, vel tantum consequens
sit, Discontinua oritur Proportio, qualis datur inter 9 ad 3,
& 18 ad 6. Siquidem in his prorsus discreti & disjuncti sunt
Antecedentes & consequentes. Quare hæc etiam in iis repe-
ritur quantitatibus, quæ diversi sunt generis: secus atque
Continua, in qua tantum, quæ genere conveniunt, adhiberi
atque conferri inter se possunt.

XVI. Restat, ut paucis dicamus, *quæ Propor-*
tionis cum Medietatibus sit convenientia,
quæ discrepantia. Nam etsi habeant aliquid sibi
simile; tamen multis quoque inter se modis differunt, & va-
riis ab se distinguntur momentis. Conveniunt in eo, quòd
utrinque medius terminus certo respectu inter extrema in-
terponatur: differunt autem, quòd Proportio respiciat
quantitates, quæ secundum æquales & similes distant ratio-
nes,

nes, adeoque rationes in illis sint eadem, licet intervalla diversa. At Arithmetica in Medietate, terminorum consideratur differentia, & rationes sunt diversae; major quidem ad terminum minorem, sed minor ad majorem: intervalla autem eadem. Cui ut subcontraria est Harmonica, ita ea ipsa neque iisdem constituitur differentiis, neque rationibus parilibus; sed quemadmodum terminus maximus ad minimum affectus est, sic differentia maximi & medii, contra differentiam medii ac minimi comparatur. Adhuc in Analogia pars, quae medius terminus superat & superatur non solum est extremorum, neque solius medii, sed & medii & extremorum. In Medietate vero Arithmetica terminus medius superat & superatur propria sui parte, eò quod aequali numero deficiat & superet: Contra quam in Harmonica, ubi eadem parte extremos superat, quae is ab iisdem superatur, adeoque numero inaequali. In his 2, 3, 6. sane medius terminus eadem parte extremitatum, hoc est, dimidia & superat & superatur.

XVII. Fecit tamen, quem explicavi, respectus idem, in Harmonica pariter, & Arithmetica medietate observatus, ut utraque communiter, aequè ac Geometrica, quamvis non essent in istis eadem rationes, Proportio appellaretur. Quae quidem in Mathematicis interdum tolerari *ἀκυρολογία* poterat, quòd re probè intellectâ, necessitas quandoque jubet eum vulgo loqui. Illorum autem non est ferenda audacia, qui quid ratio à proportionem, ne dicam à Medietate proportio differat, fortè nunquam edocti, Axioma notissimum, quod lites infinitas peperit, Finiti ad Infinitum nulla est proportio, in scientiam nobilissimam, de Ente universè primi invexerunt. Quid enim aliud effecerunt, quam ut discen-
tium indolem inutili diversarum distinctionum farragine obruerent? Quibus tamen commodè supersedere, imò effectum planè emittere & ad suam amandare sedem potuissent.
Nam


Nam si usquam commissa est μεταβασις vitiosa, hic certè ea usu venit. Profectus autem non aliunde error est, quàm ex non inspectis, consideratisq̄ve fontibus tum Matheseos, tum Græcæ lingvæ. Audiverunt fortassis boni Viri, negari proportionem finiti ad infinitum in Mathematicis, nescientes abusum esse nominis, cùm proportio ponitur pro λόγῳ, seu ratione, q̄valem nullam esse inter finitam infinitamq̄ve quantitatem, ostendi superius. Cùm itaq̄ve ipsi proportionem pro similitudine quadam, ac convenientia magis propriè acciperent, licet q̄valis hæc esset, æqvè ignorarent, ac quid sit ratio; ad Ens universè spectatum sibi revocandum esse enunciatum arbitrati sunt, tamen si sensum in quantitatibus, ad quas unicè pertinet, non assequerentur. Rectiùs Aristoteles æqvale & inæqvale, circa quod omnis versatur Ratio, in suis Categoriis Quantitati tribuit. Ineptus autem sit, qui affectionem Enti certæ & determinatæ quidditatis propriam, per improprium loqvendi modum ad res accommodare transcendentis velit. Sed ista quidem tetigisse sufficiat. Nos hîc acquiescimus, dicentes

Soli Deo Gloriam.









43

B. V.

MATHEMATICAM

de

RTIONE

lbim Academia,

torum examini

ittunt

ESES

S BAPTISTA

HELIUS,

- Hungarus,

&

NDENS


ARPONAIDES,

Hungarus,

tori d. V. Aprilis.

L X X I X.

emeridianis.



ERGÆ,

CKELII, Acad. Typogr.